

& in flaviis ad fundum sine periculo corporali. Nam Ale-
xander magnus his usus est, ut secreta maris videret, secun-
dum quod Ethicus narrat astronomus. Hæc autem facta
sunt antiquitus, & nostris temporibus. & certum est, præ-
ter instrumentum volandi quod non vidi, nec hominem qui
vidisset cognovi, sed sapientem qui hoc artificium excogita-
vit explicite cognosco. Et infinita alia possunt fieri, ut pon-
tes ultra flumina sine columnâ, vel aliquo sustentaculo, &
machinæ, & ingenia inaudita.

C A P U T V.

De experientiis perspectivis artificialibus.

Cap. 30.

*Perspectivis
naturali,
vnde*

Sed profecto mirandæ satis inveniuntur figuraciones physicæ radiorum. Nam sic possunt figurari perspicua & specula, ut unum appareat multa, & unus homo exercitus; & ut plures & quot volumus Soles & Lunæ appareant. Nam natura sic aliquando figurat vapores, ut duo Soles, & duæ Lunæ, & aliquando tres Soles apparuerint simul in aere, ut Plinius recitat in 2. naturalis historiæ. Et qua ratione plures & infinitæ potest una res apparere: quia postquam excedit suam virtutem, nullus est ei numerus determinatus sicut arguit Aristotel. in capit. de vacuo. Et sic omni civitati, & exercitui contrario, possunt fieri terrores maximi: ut vel propter multitudinem apparitionum stellarum, vel hominum super ipsos congregatorum dispergant, præcipue si sequens documentum cum illo primo habeatur. possunt enim sic figurari perspicua ut longissimè posita appareant propinquissima, & è contrario: ita quod ex incredibili distan-
tia legeremus literas minutissimas, & numeraremus res quā-
tumcunque parvas, & stellas faceremus apparere quod velle-
mus. Sic enim existimat quod Iulius Cæsar per littus ma-
ris in Galliis, deprehendisset per ingentia specula disposi-
tionem & situm castrorum & civitatum Britanniæ mai-
oris. Possunt etiam sic figurari corpora, ut maxima appa-
reant minima, & è contrario: alta appareant ima & in-
fima, & è contrario: & occulta videantur manifesta. Nam ut Socrates draconem corruptentem civitatem & regio-
nem suo anhelitu & influentia pestilenti, deprehendit in-
tra montium latibula residere: Sic etiam omnia quæ essent
in civitatibus & exercitibus contrarijs possunt ab inimicis
depre-